



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Lucianus martyr 7. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

*Patien-  
tia.*

iunijs castigabat. Amabat cum primis solitudi-  
nem, atque à delicijs iocis ac ludis plurimum ab-  
horrebat. Detractiones atque irrisiones inuicta  
animi constantia (perinde ac si religionis perfe-  
ctio in perferendis iniurijs poneretur) tolera-  
bat, donec vita in summa sanctitate traducta, ad  
beatissimum illud animorum concilium multis  
terra & cælo auctus honoribus euolauit.

DE S. LUCIANO MARTYRE

7. Ian. Sur. Tom. 1.

*Omnes  
opes ef-  
fundit  
in pau-  
peres.*

*Quoti-  
diani ie-  
iunij  
rigor.*

*isus.*

Singulari parentum diligentia integerrimè e-  
ducatus Lucianus, postquam iisdem anno æta-  
tis duodecimo fuit orbatus, ad sacram ædem cõ-  
fugit, effusisque in pauperes cunctis facultatibus,  
Edeslam ad Macarium sacræ scripturæ interpre-  
tem contendit: atque hoc vsus præceptore breui  
in sacrarum literarum scientia præclare profe-  
cit. Dein mox à baptismo monasticam vitam  
exorsus, vino & obsoniorum esu prorsus absti-  
nuit, & quotidianis insuper ieiunijs secundissi-  
mo euentu contra carnis lenocinia depugnauit.  
Inde vero stabili se consuetudine obstrinxit, vt  
hora saltem nona semel in die vesceretur, præ-  
terquam quod certis temporum interuallis tota  
hebdomade cibo abstineret. A scurrilitate & risu  
tantum abhorrebat, quantum iudicabat ea esse  
verè ridicula: Contra vero lugentium (quos suo  
diuinoque præconio beatos allerebat) maluit es-  
se imitator: proindeque maiorem ætatis suæ par-  
tem in precibus ac lachrymis ponebat. Silentio  
igi.



Igitur ac meditationi assidue intentus tametsi  
 spiritali intus dulcedine afflueret, tristem & co- *Amor*  
 gitabundum vultu referebat. Tanto deniq; sa- *contem-*  
 crarum literarum tenebatur desiderio, vt præ- *platio-*  
 assidua earum commentatione vix somnum ca- *nis.*  
 peret. Sin vero quandoque nonnihil quietis  
 corpori indulgendum putaret, non absque in- *Somni*  
 tensa oratione, lachrymis, & genuflexione dor- *parcissi-*  
 mitum se conferebat. Et hæc quidem adhuc pu- *mus.*  
 er. Deinceps vero adolescens diuina S. Spiritus  
 ope fretus, ita cupidinis irritamenta superauit, *Carnerum*  
 vt à rebellionem carnis profus videretur immu- *ieiunij*  
 nis. Edulijs quippe ad refectionem corporis *edoms-*  
 adeo exilibus utebatur, vt multis diebus solo pa- *is.*  
 ne victitaret, & ne pane quidem pluribus, sed ijs  
 quæ eo erant ad alendum magis exilia. Aqua au-  
 tem erat ei potus suauissimus. Quandoque vero  
 etiam vsu ignis abstinerebat. Cumque sic ab omni  
 corporis contagio mentem seuocasset, & ad vni-  
 uersæ humanæ virtutis fastigium conscendisset,  
 cito omnium sui temporis euasit clarissimus.  
 Quam ille demum egregiè factorum gloriam æ-  
 terna martyrij laude sub Maximiano Imperato-  
 re cumulauit.

**MARTYRIVM DVORVM INFANTI-**

*um, Surius ibidem in vita*

*S. Luciani.*

**E**Adem tempestate etiam in innocuam æta-  
 tem barbara immanitate grassabatur Maxi-  
 mianus: qui cum apud Nicomediam duos pue-  
 ros